

1177

1994
A
1386





30.
DISPUTATIO TRIGESIMA
COLLEGII PVBLICI,
DE PRÆSCRIPTIS
VERBIS, ET IN
FACTVM ACTIO-
NIBVS.

QVAM

Diuino fretus Auxilio,

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

IN FLORENTISSIMO CELEBERRIMAE
Agrippinensis Academiae, Iuridicae facultatis Collegio publici
exercitij causâ pro virili defendendam suscepit

HENRICVS Laugenbeck / Hamburgensis.



COLONIAE AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

CONTINUATIO.



Ostquam de contractibus Nominatis egerat compiler, priusquam ad ea, quæ vtrisque solent accedere, ac adiungi, consultum ipsi visum est indolem quoque innominatorum inspicere contractuum, deinde ad vltiora facere progressum.

THESIS PRIMA.

Quemadmodum, in consensualibus consensus ita in Realibus Res & consensus essentiam constituunt contractus. Euenit autem interdum vt quamuis res interueniat & consensus, non tamen protenus contractus oriatur Realis nomen habens definitum. Qua in re non est de facili commune quid excogitare, quo nominati Reales ab innominatis initio obligationis inspecto distinguantur.

2. Sanè diuersos esse effectus nemini non patet, *ex l. 5. § 1. ff. de condict. causa data causa non sec. & l. 5 ff. de presir. verb. iuncta l. 5. C. de O. & A. de causa quæri possit, l. 14 C. de resc. vendit. l. 6. C. de act. empt.* Quæ in hoc posita esse videtur; quod in innominatis magis ad re quam consensum respiciamus, vtpote quæ sola initium obligationi præbet, id quod tum *ex l. 1. §. 2. ff. de rerum permut.* tum ex eo quodammodo patet, quod repetitioni rei, velut ob quam solam substiterat, contractus, *VVesemb. par. de cond. causa data num. 3. sit. locus d. l. 5. & l. 3. ff. de cond. causa data.* Adde quod *IC. in lege 7. pr. ff. de pactis* ob nudum synallagma parere hos contractus actionem prodidit secus autem in realibus Nominatis, vbi vtrumque principaliter & simul in considerationem venit. *pr. I. de obl. ex Cons. l. 2. §. 1. & sequentibus de O. & A. iuncta lege 18. ff. de Reb. Cred.*

3. Deinde in Realibus Nominatis id agitur, vt idem recipiamus si non in specie, vt in comodato, deposito, pignore. *§ l. 1. 1. 3. l. quibus mod. re contr. obl. l. 1. ff. de O. & A. saltem in genere l. 3. ff. de reb. cred. pr. I. quibus mod. re contr. obl.* Ast in innominatis, res quæuis & quodlibet factum in obligationem deducitur, quod per omnes eunti species non erit obscurum.

4. Contractus innominatos in vniuersum definitio, qui nullum ex iure civili nomen habent certum, habentes tamen negotium civile, cuius forma generalis sit nec certis limitibus definita, ita *Vult Iur. prud. l. b. 1. Cap. 41.*

5. Contractus autem isti duplicis sunt generis, Vnum est eorum, de quibus constat, synallagma quod habent ad aliquem nominatorum referri posse, sed ad quem, dubitatur: Alterum eorum quod certum est ad nullum referri nominatum posse. *VVesemb. par. de estimat. n. 2. Vult. iuris. Rom. ib. 1. cap. 41.*

6. Priori generi adscribendi sunt Aestimatorius & Permutatio: ideo contractibus ex consensu subiuncti quia magnā cum eis habent affinitatem, quia videlicet certo gaudere videantur nomine, secus tamen se res habet, cum quia non omne, sed illud demum satis appositum censetur nomen contractus, quod iure civili certum est & definitum. *l. 13. ff. de prescr. Verb. l. 2. §. 6. ff. de Orig. iuris*, quam solutionem inmerito reprehendit *Bacch. hic th. 4. litt. A.* tum quia nomina eorum partim in genere subsistunt, cum omnes ferè contractus vtrò citroque obligatorij, permutatio dici possint: partim nimis sunt angusta, vt aestimatoria quæ à re aestimato, vendenda data, quandam quasi appellationem sortita est, nec locationis nec mandati, ex quibus tamen æque est conflata naturam exprimit; quamuis ad alia applicatum nomen suo sensu & generale nimis dici queat quippe & emptio- ni, venditioni, & permutationi, vbi res rem aestimat. *l. 1. ff. de contr. empt. & l. 1. ff. de rerum permutatione.* Contractui dotis aestimatæ, alijsque competit consimilibus. Quid quod aestimatoria non est nomen actionis sed qualitas quæ adijcitur actioni præscriptis verbis. *Ias. in l. 1. ff. h. t.*

7. Vocabulum Aestimatoriæ est ἐκ τῶν πολλῶν λεγομένων, Aliquando sumitur pro actione ex ædilitio edicto proueniente data emptori ad præciū consequendum, quāti minoris rem vitiosam venditam empturus fuisset, vel quanti minoris res erit, aliàs quantò minoris dicta. *l. 18. l. 44. ff. de edil. edicto.*

Aliquando pro actione ex contractu Aestimatorio promanāte quo sensu in hoc titulo intelligi debet.

8. Contractum aestimatorium dicimus cum res reddenda datur vt res aut incorrupta, aut aestimatio, de qua conuenit reddatur, Atque hic cum venditionem, locationem, mandatum saperet dubitationis tollendæ gratia vt effugeret actor pœnam ineptam proponentis actionem, datur aestimatoria præscriptis verbis. *l. 1. ff. h. t.*

9. Cæterum quod in omni mixtione Physica fieri ad solet, vt ex multorum concursu nascatur aliud specie à prioribus diuersum extremis nempe virtutibus depressis & remissis, vt in corporibus tam perfectè quam imperfectè mixtis videre est: idem in mixtione iuridica contingit. Idem quod non minus exemplis mixtorum iudiciorum, *lib. 9. ff. enumeratis*, quam ratione fundatur, ne contractus contractui infit, quod absurdum foret, cum nec penetratio dimensionum in Physicis vlla detur.

10. Hinc fit vt licet aestimatoria locationi sit adfinis, periculum tamen contra eius indolem *l. 9. §. 3. ff. locati. l. 23. ff. de R. I.* transeat in accipientē, dum tamen speciatiim conuenerit, vt aut res, aut aestimatio, reddatur, seu, vt loquuntur, aestimatio propter rem fiat. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* sin ei fini adiecta sit aestimatio, vt sciatur quanti res vendi debeat, adhibenda est distinctio *l. 17. ff. de prescr. Verb. argumento. l. 5. §. 3. ff. Comm. Ias. in d. l. h. t. Col. 1. Connan. comm.*

comm. lib. 7. cap. 15. Diss. Azo. d. l. 1. VVesemb. par. num. 5. ff. hoc tit. aliter pugnam d. l. 1. cum d. l. 17. componentes.

11. Ex eodem fonte promanat & alia decisio quod, vt vt Mandatarius omne lucrum ex negotio, mandato perceptum restituere cogatur. *l. 46. §. 4. ff. de procur.* Eius tamen cui res vendenda data est, si pluris vānerit commo- modo lucrum cedat, idque propter periculum, quod secundum distinctio- nem Theseos decimæ sustinet, *arg. l. secundum naturam ff. de R. I.* Deinde quia aut ad rem, aut ad pretium definitum restituendum se deuinxit, quod dum faciat de reliquo est securus. *Diss. Ias. d. l. 1. n. 2. & 3. Tr. h. th. 2. litt. A.*

12. Denique propria eius indoles maxime hinc elucet, quod recipiens, si velit, rem sibi retinere queat indistinctè soluto precio, seu propter rem sit æstimatio facta, seu ad indigitandum precium. Neque enim Conductori Mandatarie perpetua retentio conceditur: Emptor autem, licet ideo nu- meret precium, vt sibi rem seruet, arbitrium tamen post absolutum contra- ctum, vel restituendi, vel retinendi non habet. Diuersam hanc æstimatoriæ naturam parit verisimilis contrahentium voluntas, quæ pro re precium desiderauit, à quocunq; soluendum *Cuiac. par. C. h. t. Vult. Iur. Rom. l. 1. c. 41.* vide hæc latius declarantem *Hunnum Res. ad Tr. th. 2. in fin. Diss. Conn. lib. 7. comm. c. 15. n. 15. Tr. th. 2. litt. G.*

13. Alter contractus quem peperit dubitatio, dicitur Permutatioi *v. l. 1. ff. de contr. empt. §. 2. I. de empt. & vend.* quod verbi dupliciter accipi potest, vel pro mutua rerum mutatione, & translatione, quo sensu modum acquir- endi domini denotat: vel pro contractu, qui ex illa mutua translatione existit *Bacch. th. 4. l. a.* Posteriori significatione à plerisque solet definiri con- tractus innominatus, re, & consensu constans quia certa species cum certa specie rei eiusdem generis commutatur *Vult. Iur. d. loco VVes. par. ff. h. t.* A- iunt enim si genus cum genere, aut cum specie commutetur non esse per- mutationem sed contractum *Do vt des. gl. & dd. in l. 1. ff. h. t. Ias. in l. 2. in pr. n. 7. ff. si cert pet. gl. opt. in l. 1. C. eod.*

14. Verum ab hac opinione recesserunt magni nominis viri qui nullum inter hos contractus agnoscunt discrimen moti *l. 5. §. 1. ff. de præsc. verb. in princ.* vbi *ICTUS.* permutationem & contractum *do vt des* si- mul ab Empt venditione distinguit deinde *l. 1. ff. h. t.* vbi res in genere per- mutari dicitur, nec vllus dari possit textus, quo generalitati per speciem derogetur, facit apprimè quod in *d. l. 5 §. 1.* in fine dicitur, si scyphos tibi de- di, vt mihi stichum dares, celebrari contractum. *Do vt des.*

15. Sanè quod plerumque fidei caussa adfertur in contrarium, vix est vt hæc fundamenta subuertat veritatemue expugnet. Quid enim? num ex eo, quod permutatio bonæ fidei dicitur, exclusus erit contractus, *do vt des?* Quia demonstrent prius hæc esse diuersa, priusquam id probationis loco adferant, quod quæritur. Nec iuuat eos titulorum series. Neque enim no- num est, vt nobilior interdum species declaretur latius, generali postea tra-
cta-

Etatione subiecta. *arg. l. 27. § 16. ff. ad leg. Aquil. & tt. ff. de R. I.* Reliqua aduersantium (inter quos professus nouè est nomen suum Antonius Fab. *Coni. 6. c. 9.*) argumenta solidè refutata vide apud *Becch. hic th. 6. litt. 4. & Hunnium th. 7. quæst. 9.* aliosque recentiores *Diff. Ias. & Sich. h. t. Az. 0.* in summa *C. n. 6. Cuiac. 23. obs. 28.*

16. Vnde prono fuit alueo nimis angustam esse definitionem *th. 13* positam, cum non tantum species sed omnes omninò res commercio non exemptæ, nec obligationem respicientes, materiam permutationi substernant.

17. Quod si pro verbis posterioribus ita ponamus, qua rem nostram siue genus siue speciem cum re alterius permutamus, omnibus numeris erit absoluta definitio.

18. Dixi rem nostram, nam in permutatione vtrinque est transferendum dominiû. Quod *Ias. ad l. 1. hoc t. arg. l. urbana 146. §. pernoctare. ff. de V. S. non* incitè probat: magis tamen fit perspicuum *ex l. 4. C. de rerum permut. & ex l. 1. ff. eod. vbi I C.* in permutatione rem vtriusque fieri oportere asserit, addita ratione, quia vtraque res precij vice fungitur, cuius vtiq;ue dominium in venditione transferendum est, *d. l. 1. ff. h. t. l. vlt. ff. de condict. causa. data. l. si seruos. 7. C. de act. empt.*

19. Nec quicquam faciunt in contrarium d. l. verba sub obscura, *si merx neu rius* quippe hoc I C. vult diuersam esse per mutationem ab emptione venditione, quia in hac merx & precium discerni possunt, in illa fecus. Atque hoc probat per *μερισμόν. h. m.* Aut vtrumque est merx, tum ad exemplum venditoris neuter rem accipientis facere tenetur, quod absurdum & naturæ contractus inimicum: aut vtrumque est & res & precium, quod cum ratio non patiatur, relinquitur vtrumque vice precij fungi, vt ita ad exemplum emptoris vterque dominium transferre cogatur. Non tamen verè est precium cuius est aestimare, nec simul aestimari, quod tamen in rebus permutandis contingit. *vide Ias. ad d. l. & copiose Anton. Fab. 6. con. 9. Cui. c. 23. obs. 28. aliosque complures.*

20. Hinc rectè subiungit *Ic. in. §. 1. alienâ re datâ, paratam in factum actionem, adeoque alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem d. l. 1. § 3.* Cum quo coniungendus nequaquam verò separandus est sequens *§. 4.* qui de tali loquitur hypothese, quando solum ab vnius parte data est res, & illa aliena, quo casu si non impleat alter contractum permutationis merito præscriptis verbis non agit, cum permutatio non sit celebrata, vt pote quæ à re data capit initium. Quanquam cum Accursio subaudiendo particulam *Tantum* euitari contradictio possit.

21. Quid si res aliena data sit euicta, numquid sola dabitur præscriptis verbis actio? qua in re pugnantia leguntur. *I C. responsa l. 7. §. 2. ff. de pact. & l. 5. §. 2. ff. de præsc. verb.* Conciliatio peti plerumque solet ex ipsis legibus. dum *Vlp. d. l. 7. ait.* Iulianum rectè à Mauriciano reprehensum, quod sequimur. Neque verò inauditum in iure, vt, quod in alia lege relatiuè, vt loquuntur positum, id in alia assertiuè seu per decisionem inueniatur. Om-

nium consensu id euenit in *l. 5. §. de arbore ff. de R. vind. quæ reprobatur l. hoc amplius 9. §. alienus ff. de damno infecto l. sed si meis 26. §. arbor. ff. de acquirend. rerum dominio.*

Idem fit in lege, si fideiussor *l. 9. ff. de dolo malo*, quæ reijcitur per *l. mora §. vlt. ff. de vsuris.* & ab ipso Papiniano in *l. Stich. 95. §. 1. ff. de solut. l. mora. 88. ff. de V. obl. Ital. seruus. 20. §. vlt. ff. de dolo malo improbat l. 25. ff. eod.*

22. Quod autem in *d. l. adiecta* est particula *ciuilem* id è diametro pugnat cum *d. l. 7. ff. de pact.* Et vix ab incuriæ nota excusari potest Tribonianus, vt vt, colludat cum eo Donellus *tr. de præsc. verb. cuius* explicatio *d. l. 7. de actio- ne in factum subsidiaria* tolerari nequit, actio enim de dolo non ciuilis est, sed prætorica, nec mentio fit doli in *d. l. 7. præsertim* cum familiare sit Triboniano incongruam assumere particulam, vt notat. *Goth. ad d. l. 5. vid. VVes. par. ff. de pact. n. 9. circa medium.*

23. Quanquam autem species cum genere & vicissim solum in permutationem cadere videantur & in eo ab Emp. Vend. distinguatur. *l. 1. ff. de permut. §. 2. de empt. vend.* est tamen cum Pecunia quoque cum re commutatur, nec Emp. Vend. sed Permutatio contrahitur. *text. in l. vlt. ff. de cond. causa data, cui aduersatur. l. 5. §. 1. ff. de præsc. verb.* Variè hæc pugna dirimitur à varijs. Acuta videtur *Ias. in d. l. 5. §. 1. n. 1. animaduersio*, quod in *d. l. 5. res accipi* dicatur non dari, non igitur mirum videri contrahi (Empt. vend. in *d. l. vlt. res dari* rectè ergo permutationem institui. Quæ tamen responsio dubio non caret, nam primo *Ic. in eadem l. 5.* Verbum *accipiam* in contractu do vt des adhibet, vbi omnium suffragio dominij translationem significat. Deinde quia in Emp. vend. idem agitur vt res detur, non tantum vt accipiat, adeo vt in contrarium paciscens venditor non censeatur. *l. 80. §. vlt. ff. de cont. empt.* Quod autem res aliena emi potest, id eò pertinet vt agi de eui- ctione possit, ne frequentissimus inter homines contractus re aliena sæpè ab imprudentibus vendita quotidie rescindatur. Rectius soluit communis schola. in *d. l. vlt. pecuniam* interuenire vt corpus; in *d. l. 5. vt precium* sine quo Empt. vend. non contrahitur. *l. vlt. C. de prad. decur. DD. communiter in d. l. vlt.*

24. Euenit quoque vt pro re detur res & precium, quo casu ab eo quod excedit vel Emptio vel Permutatio dicetur, nisi de voluntate contrahentium aliter constet, arg. *Ext. c. 6. C. de pact. inter empt. iuncta l. 14. C. de cont. empt. argum. l. quæritur ff. statu hominum.* Excedere autem quid videtur, vel quantitate, vt in *ll. allegatis: vel qualitate*, qua ratione principale trahit ad se accessorium, arg. *l. 19. §. perueniamus. ff. de auro & arg. leg. l. 23 ff. de R. V. §. si tamen alienum. l. eod.* Sin æqualia sint omnia, in dubio potius Emptio venditio tanquam contractus perfectior celebratus videbitur. *argum. l. 7. §. quod ferè. ff. de pact. l. 2. ff. de milit. test. Bart. in l. ab empt. ff. de pact. & in l. Aristo. & ibi Immol. ff. de donat. Couarr. 2. var. resol. 4. n. 19. Diss. Ias. in l. 2. ff. de reb. cred. n. 9.*

25. Quæ-

25. Quæsitum memini, si Scyphos tibi dedi, vt Stichum mihi dares, si Stichus antequam dares moriatur, an Scyphos repetere possim, seu quod idem est, cuius sit periculum? Quod vtique affirmandum *l. ultim. ff. de cond. causa data.* cum meri sit iuris rem perire suo Domino. *l. 9. C. de pign. act.* Textum autem *in l. 5 §. 1. ff. de præsc. verb.* ita interpretamur, quod sit quidem meo periculo vt rem non petam, non vt datam amittam. *Coras. 2. Miscellan. 9.*

26. Progredimur ad alterum contractuum Innominatorum genus, quos certum est nulli nominatorum posse adscribi. Horum quatuor recenset *Paulus in l. 5. ff. de præsc. verb.* non quod plures reperiri non possint, cum plurimæ sint res nomine carentes. *l. 4. ff. h. t. V. Ves. par. hic n. 6.* Sed quod plures Innominati respectiui non dentur, vide omnino *Ias. hæc explicatæ vberius in d. l. 5.* Sunt autem hi quatuor: do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias.

27 De quibus pauca delibabimus compilatores imitaturi, qui de prioribus singulares titulos composuerunt, hos vnica lege absoluentes, præsertim cum vna eademque ferme sit omnium natura. Ac quæ de contractu do vt des commentari solent Doctores supra relatæ sunt ad materiam permutationis, à quo non differre supra *th. 14.* probatum est, nec quod sciam de contractu do vt des dicendum restat.

28. Do vt facias magnam sortitur affinitatem cum locatione, vt anceps sæpè vtriusque faciat discrimen. Placuit tamen si tale sit factum, quod locari solet, (quod alij aliter definiunt. *v. Ias. hic n. 2. in fine*) pecuniâ numeratâ data locatio erit. (Explosa est enim sententia existimantium in locatione facti, seu operarum consistere mercem in re quauis fungibili *per d. l. 5. §. 2. & l. 1. §. 9. ff. de pos.* de qua quæstione cum sedes eius sit alibi, vide eleganter *Bacch. ad Tr. disp. 29. th. 3. lit. G.*) Si res, non erit locatio, sed nascetur vel ciuilis actio, in hoc, quod mea interest, vel ad repetendum condictio, id est, nascitur contractus innominatus, do vt facias. *d. l. 5. §. 2.* Idem, est si tale sit factum, quod locari, vel non possit, vel non soleat *d. l. 5.*

29. Quod si faciam vt des, & posteaquam feci, cessas dare, nulla erit ciuilis actio, & ideo de dolo, dabitur. ait *Io. in d. l. 5. §. 3.* Quæ verba prisca ætas & omnium iurisconsultorū secula, pro vt litera sonat, acceperunt: Donellus autem, rem à principijs arcessens, nouam quidem, non tamen à ratione Iuris abhorrentem ad inuenit Exegesis. Ait enim. Aut qui fecit, impleri contractum postulat, & tunc actio præscriptis verbis ei non denegatur, idque multis euincit argumentis. *l. 3. l. 15. l. si. polienda. ff. h. t. l. 7. §. 2. ff. de pactis* alijsque quæ apud ipsū in *Tr. ac de præsc. verb.* prolixè videri possunt. Aut recedere cupit à contractu, & tum locus est *d. §. 3.* quod condictio nō detur ad repetendum, facta enim infecta fieri non possunt *arg. l. verū ff. de Re. I.* sed in eius locum succedat actio de dolo *per l. 4. C. de dolo malo.* Quamuis autem à communi in iudicando non recedendum, rectè moneat *Tr. hic. th. 10.* veritate tamen Theorica inspecta non absurdè quis cum Donello fecerit, licet validè contra disputet. *Bacch. hic th. 100.*

30. Contractus facio ut facias, quia modo commodato, modo mandato consimilis, ob summam æqualitatem synallagmatis facile, impetrare, debuit, ut eodem cum reliquis iure censeretur. *d. l. 5. §. 4. VVes. par. hic n. 6. ¶*

31. Effectus contractuum innominatorum est, quod pariant actionem præsc. verb. *l. 7. §. 2. ff. de pactis.* qua id petitur quod interest, si contractum impleri postulem: sin repetere, quod dedi, intendam, recurrendum erit ad conditionem causa data causa non secuta. *d. l. 5. §. 2. ff. h. t. l. 3. & 5. ff. de cond. causa data.* Nec mirum videri debet, esse in his locum poenitentiae. Id enim ut familiare est etiam alijs, ut mandato, deposito, societati, ita specialis hic militat ratio, quod qui dedit alteri non sit obligatus, dum nihil ab ipso est præstitum, cum ob solum synallagma & implementum pariant actionem. *d. l. 7. ff. de pact. & l. 1. ff. de perm.* denegari igitur mihi repetitio rei, ob quam solum contractus constiterat, non debet. *VVesemb. par. de cond. causa data. n. 4.* Deinde cum recipiens non præcisè teneatur implere, iniquum foret durius astringere eum, qui placito paruisset, quam qui parere recusat. argt. *d. l. 1.*

32. Elegans est *Hotom.* coniectura, non præscriptis, sed perscriptis verbis legendum, ex veterum more primis literis actiones certas libello notantium; hic autem quia factum erat totum narrandum, & in istum contractum actio concipienda, non vno nomine, vel littera, sed integra petitione & conclusione sit perscribenda. Ea vero constans est omnium membranarum lectio, non facile ab ea recedendum monent Doctores. *Donell. d. tr. de præsc. verb. cap. 4. Alias Etymolog. vide ap. Don. d. loco.*

33. Est autem actio præscr. verb. partim bonæ fidei, si AEstimatoriæ & Permutationi, seu do ut des, sin reliquis innominatis applicetur contractibus *stricti iuris. §. actionum quedam* & ibi Doctores *I. de Action.* Quod lice neget *Hotomannus ad d. §. actionum* eumq; secutus *Meierus in colleg. argent. hoc tit.* rationes tamen eorum tanti momenti non sunt, ut quempiam à veritate dimouere possint, quas nuper destruxit *Dominus Bacch.* solidè hanc quæstionem discutiens *tr. de action. disp. 6. th. 8.*

34. Vocatur, hæc actio sæpius in factum. Vbi obseruandum actionem aliam esse generalem, quo sensu etiam utilem comprehendit: aliam specialem, eamque vel ciuilem, & hæc iterum vel ex contractu innominato respectiuo fluit & dicitur actio in factum ciuilis, id est præscriptis verbis, vel non nascitur quidem ex contractu, sed ex æquitate, quæ in factum simpliciter vocatur, daturque totiens quotiens negotium quidem in formam contractus non cadit, dari tamen actionem postulat æquitas: Vel prætoriam, seu subsidiariam, quæ rursus vel ex edicto Prætoris, qualis est de dolo in factum, de in ius vocando, vel eius iurisdictione, ut in *l. Aquilia.*

l. quia ff. h. t. ita Donellus. d. tr. de præsc. verb. c. 23.

Aliter Bacch. hic. th. 12.


F I N I S.


X 2874408

94 A 7386

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

RIGESIMA
 BLICI,
 CRIPTIS
 ET IN
 CTIO.

uxilio,
 VS
is Viris, ac DD.
 o, I. V. Doctore, &
 SS. LL. Licentiate,
 e & Fisco.

CELEBERRIMAE
 acultatis Collegio publici
 adendam suscepit
 Hamburgensis.

PPINÆ,
 rope Augustinianos.